Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Vitae Christi pars prima - Cod. Aug. perg. 22

[Reichenau ?], [15. Jh.]

Schmuckinitiale

urn:nbn:de:bsz:31-41594

Visual Library

beneplacita sua peregrinans. De suscitatione filii vidue. Capitulum lxiii.

Et deinceps ibat Ihesus cum discipulis et turba copiosa que eum sequebatur novitate operum suavitate doctrine et ex sanctitate eius devocione in civitatem galilee que vocatur Naym. Scdm Ieronimum duo miliaria a monte Thabor contra civitatis naym et supra naym mons endor ad cuius radices fluit torrens cyson. In huius civitatis porta ubi erat maior concursus populi obviavit dominus multitudini hominum efferencium vel extra portantium defunctum filium unicum vidue ad sepeliendum. quia antiquitus loca sepulture erant extra civitates et hominum habitaciones ne cadaveribus inficerent loca et homines. Hoc autem sic factum est ut evidencius esset miraculum coram multis factum et multi essent testes tanti miraculi. Et quia vacabat ad pietatis opus prosequendo funus et consolando viduam et orbatam matrem meruerunt ipsum videre miraculum. Verbis igitur mysteriorum evangelii sub ruptione molem brevibus verbis explicavit. Mater vidua erat que non sperabat ulterius filios parere non habebat in quem aspiciendo dirigeret vite defuncti quia unicus erat. hunc solum lactaverat hic solus aderat a lactacione cum ex domo quidquam mihi dulce ac preciosum hic solus existebat. Unde terribilis miseracio passio et ad fletum et ad lacrimas potens provocare. quam cum vidisset dominus sic existentem et afflictam intima ac pietate motus super eam quia homo super eam tum quia vidua erat tum quia non habebat alium filium a quo in senectute sustentari posset. dixit illi verbo consolatorio et dulci. Noli flere. Quasi diceret cito consolata eris desiste quasi mortuum flere quem mox vivum resurgere videbis. Vere tam consolator deus illorum maxime lacrimas intuetur qui aliorum miserias et peccata deflet. Secundum bedam dominus misericordia motus est ut nobis exemplum imitande pietatis ostenderet. Ubi et consolatoribus Jubes autem cessare a lacrimis qui consolatur mestos. monens nos de parentibus defunctis consolationem recipere et non esse sperantes. Pagani et gentiles causam habent plangendi defunctos. quia resurrectionem nesciunt sed nos iam eam credimus et ideo causam plangendi non habemus. Et accessit et tetigit loculum vel feretrum ut efficacis salutis tactu corporis sui deveniret et ostenderet quod corpus suum deitati unitum erat instrumentum deitatis in miraculis faciendis. Loculus diminutive est mortuum loculus in quo iacet. Cui enim viventi magna palacia et ample domus non sufficiebant pro loco ei morienti parvum spacium sufficit pro loculo. Unde mortuo alexandro dixit quidam philosophus. Quem totus mundus non capiebat hodie parva continet archa. Hii autem qui portabant steterunt nec ulterius progredi ausi sunt. Et ait. Adolescens tibi dico surge. et sic eum secundum quod deus suscitavit. Et resedit qui erat mortuus. quia surgens sedit in loculo in quo iacuerat prius. et cepit loqui ut manifeste appareret quod erat vere et non apparenter resuscitatus. et forte verba ipsius fuerunt gratiarum actiones. Et dedit illum matri sue. quia non suo merito sed matris resurrexerat. ut que de ipso tristis fuerat in ipso consolaretur. Omnes autem invasit timor ex stupore tanti miraculi qui timor non fuit alicuius mali sed reverencie de potencia et bonitate. et magnificabant vel laudabant deum et magnum predicabant. quia quanto maior est casus tanto pietatis exigentis est maior et spes salutis penitentibus est certior. Et dicebant quia propheta magnus. scilicet in lege et prophetis promissus surrexit in nobis. immo plusquam propheta. et quia deus visitavit plebem suam mittendo eis salvatorem ut eos redimeret. sic medicus visitat infirmum ut eum sanet. Mystice iste defunctus homo per peccatum mortale mortuus. eius mater est ecclesia que universitas credencium et cuius filii sunt credentes singuli. Pro hoc autem dicitur filius unicus matris sue scilicet ecclesie. quia qualiter ita deflet quemlibet in peccatum cadentem sicut mater unicum filium quem decedit. Eadem quoque dicitur vidua quia sponsi sui morte redempta vel quia nunc quamdiu peregrinatur a domino est ab amplexibus sponsi sui privata. De qua vidua dicitur in psalmo. Viduam eius benedicens benedicam. Efferentes defunctum cum consensu maior exit in opus. Quatuor portitores huius defuncti sunt quatuor affectiones cordis mei scilicet gaudium et tristicia spes et timor. Ista quatuor portant mortuum per abusum. de quibus dicit Boecius. Amat quod non decet. timet quod non oportet. dolet vane vane et gaudet vanius. Vel isti quatuor portitores sunt amor peccati timor penitencie spes vivendi et pre-

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg